

Salvianus, quem Gennadius episcoporum magistrum appellat, hac de re præclare lib. I ad *Ecclesiam Catholicam* sic scribit: « Sacerdotes exempla esse omnibus debent, et tanto antestare cæteris oportet devotione, quanto antestant omnibus dignitate. Nihil enim est turpius, quam excellentem esse quemlibet culmine, et despiciabilem vilitate. Quid est enim aliud principatus sine meritum sublimitate, nisi honoris titulus sine homine? Aut quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto? Et ideo cunctos qui sacri altaris suggestu eminent, tantum excellere oportet merito, quantum gradu. » Causam dat S. Basilius apud Nazianzenum in ejus *Laudibus*. Vix enim est, inquit, ut antistes per summum assequatur medium, ac per exuberantem virtutis amplitudinem vulgus ad mediocritatem pertrahat. Denique aurea est sententia S. Gregorii lib. VII, *epist.* 32: « Lux gregis flamma est pastoris. Decet enim pastorem, docet Dominicum sacerdotem moribus et vita clarescere, quatenus in eo tanquam in speculo vite sue plebs commissa et eligere quod sequatur, et videre possit quod corri-

gat. » Plura si cupis, vide ea quæ dixi *Ezech.* XXIV. GLADIUS SUPER BRACHIUM EJUS. — Vel active, vel passive. Active accipit Chaldaeus dum verit: *Simitis est pastor hic stultus lanioni, qui habet gladium in manu sua, et oculus ejus respicit ad pinguiam ut jugulet ea*, ideoque punietur a Deo, qui brachium ejus urefaciet, et oculum obscurabit. *Secundo*, alii passim accipiunt passive, idque exigunt sequentia, *q. d.* Gladius, id est ultio Dei incumbet brachio crudeli pastoris stulti, ut ejus potentiam confringat: item oculo dextro ejus, id est ejus providentiæ, calliditati, consiliis et prave intentioni, qua salagit gregem expilare et perdere, *q. d.* Deus hæc ejus consilia et pravas intentiones dissipabit, et infatuabit. Nam brachium ejus urefaciet, id est potentiam illi admet: et oculum ejus dextrum, id est intentionem et machinationem obscurabit, exercebit et evertet. Ita S. Hieronymus, Theodorus, Remigius, Hugo, Lyranus, Arias, Vatablus, Ribera et a Castro. Hoc in Antichristo clarissime patet, quem « Dominus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui, » *in T. Essal.* cap. II, 8.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Predicit Jerusalem a Gentibus, quin et a Judæis perfidis oppugnandam, sed Deum eam tutaturum per Machabæos, qui quasi heroes instar ignis omnia pervadent, subjicient, absument, ac tandem, vers. 10, promittit Deus se effusurum in Jerusalem spiritum gratiæ et precum per Christum, quem fideles visuri sunt in cruce clavæ lanceaque transfuram, ideoque planetam maximum facturi. Ita S. Hieronymus, Theodorus, Remigius, Albertus et Hugo. Allegorice Jerusalem est Ecclesia, præsertim primitiva, quam Deus per apostolos et martyres quasi heroes, contra omnes insultus Judæorum et Gentilium per trecentos annos fortissime propugnavit: ita Ribera, Arias et Vatablus, ac rursus in fine mundi contra Antichristum, Gog et Magog propugnabit. Allegorice dico, non litteraliter, uti multi censent. Nam litteraliter loqui Zachariam de temporibus Machabæorum mox secuturis, patet tum ex consequentia temporum, tum ex connectione et congruentia oraculorum horum cum gestis Machabæorum; tum quia vers. 10, desinit in passione Christi. Hæc autem secuta est ætatem Machabæorum. Sicut ergo Isaias, Jeremias, Osee, Daniel, Ezechiel, etc., prædicaverunt ea quæ Judæis mox erant eventura a Salmanasare, Nabuchodonosore, Cyro et Dario: sic et Zacharias prædicit ea quæ iisdem mox obventura erant ab Antiocho sub Machabæis (1).

1. Onus verbi Domini super Israel. Dicit Dominus extendens cælum, et fundans terram, et fingens spiritum hominis in eo: 2. Ecce ego ponam Jerusalem superliminare crapulae omnibus populis in circuitu: sed et Juda erit in obsidione contra Jerusalem. 3. Et erit: in die

(1) Cum satis clare Cornelius discernat quæ litteraliter in hoc capite de Machabæorum temporibus intelligenda sint, et nos ipsi in notis subsequentibus hunc sensum non prætermittimus; analysin totius hujus capituli quod secundam partem Zachariæ vaticiniorum de prærogativis Ecclesie Christi incipit, in sensu eminentiore et sublimiori exponimus.

Post prælationem, notans prophetiæ severitatem contra incredulos, et certitudinem ex Dei potentia, 1: Pango, describit Propheta providam Dei curam, qua

Christi Ecclesia, primo, munitur vi inaccessa et immobili, 2, 3; secundo, defenditur contra hostium assaultus, 4; tertio, instruitur Apostolis et prædicatoribus invictis ac victoribus, 5, 6; quarto, amplificatur particularium Ecclesiarum accessionibus, 7.

Secundo, gratiarum abundantiam, Ecclesie Christi collatam, primo, per Dei tutelam, lapsorum penitentiam, fidelium virtutem, hostium compressionem, 8, 9; secundo, per effusionem spiritus gratiarum, precum et lacrymarum super Judæos, Christi crucifixores, sed con-

illa ponam Jerusalem lapidem oneris cunctis populis: omnes qui levabunt eam, concisione lacerabuntur: et colligentur adversus eam omnia regna terræ. 4. In die illa, dicit Dominus, percutiam omnem equum in stuporem, et ascensorem ejus in amentiam: et super domum Juda aperiam oculos meos, et omnem equum populorum percutiam cæcitate. 5. Et dicent duces Juda in corde suo: Confortentur mihi habitatores Jerusalem in Domino exercituum Deo eorum. 6. In die illa ponam duces Juda sicut caminum ignis in lignis, et sicut facem ignis in feno: et devorabunt ad dexteram et ad sinistram omnes populos in circuitu: et habitabitur Jerusalem rursus in loco suo in Jerusalem. 7. Et salvabit Dominus tabernacula Juda, sicut in principio: ut non magnifice gloriaretur domus David, et gloria faciem ignis contra Judam. 8. In die illa proteget Dominus habitatores Jerusalem, et erit qui offenderit eis ex in die illa, quasi David: et domus David quasi Dei, sicut angelus Domini in conspectu eorum. 9. Et erit in die illa: quæram contere omnes Gentes, quæ veniunt contra Jerusalem. 10. Et effundam super domum David et super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ et precum: et aspiciet ad me, quem confixerunt: et plangent eum planetu quasi super unigenitum, et dolerunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. 11. In die illa magnus erit planetus in Jerusalem, sicut planetus Adadremmon in campo Mageldon. 12. Et planget terra: familiæ et familiæ seorsum: familiæ domus David seorsum, et mulieres eorum seorsum: 13. familiæ domus Nathan seorsum, et mulieres eorum seorsum: familiæ domus Levi seorsum, et mulieres eorum seorsum: familiæ Semei seorsum, et mulieres eorum seorsum. 14. Omnes familiæ reliquæ, familiæ et familiæ seorsum, et mulieres eorum seorsum.

1. ONUS VERBI DOMINI SUPER ISRAEL. — « Onus » est onerosa, tristis et funesta propheta, ut dixi *Isaiæ* cap. XII, 4 (1). Israel hic vocatur populus Judæus, descendens a Jacob. Hic enim ab angelo cognominatus est Israel, ideoque omnis ejus progenies, puta duodecim patriarchæ, et duodecim tribus ab eis proeminatæ, vocatæ sunt Israel. Jam quia decem tribus olim abductæ in Assyriam, toto orbe dispersæ erant, ita ut tempore Zachariæ Israelis nomen in eis evanuisse videretur, hinc stirps et familia, ac consequenter hereditas et nomen Israelis, redacta sunt ad duas tribus reliquas, puta ad Judæos. Hi enim fuerunt stirps Jacob, et populus Dei, cui exhibitus fuit Messias, Abrahæ et Jacobo promissus. Ita Cyrillus. Predicit ergo hic Zacharias onus, id est clades Israel, id est Judæis, ab Antiocho ejusque ducibus et posteris intentandas, sed Dei dextera et scuto avertendas per Machabæos. Unde Dei potentiam exaggerando, præmittit dicens:

DICIT DOMINUS EXTENDENS COELUM, ET FUNDANS TERRAM, ET FINGENS SPIRITUM HOMINIS IN EO, —

versus, 10. Eorum dolor prædicator intentione maximus, 11: proprietate principibus, scribis, sacerdotibus et pharisæis debitus, 12, 13: universitate omnibus communis, 14; tertio, per patulam omnibus Ecclesie doctrinam et parata fidelibus sacramenta, cap. XIII, 1.

(1) Hebræus: *Pronuntiatio verbi Jehovæ*, id est effatum Jovæ super Israele, hebræice *יהוה*, id est universo populo Hebræorum, non contra Israelitæ. Neque enim, ut optime observat Rosenmüller, mala prænnuntiat Israelitis propheta quæ sequitur, sed vindicandos illos et liberandos ex hostium potestate promittit.

q. d. Ego sum Deus omnipotens, omniscius et optimus; nam meam omnipotentiam ostendi, dum vastissimos colos ex nihilo creavi et expandi; sapientiam meam patefecit, dum terram in medio mundi pendulam mira arte fundavi et fulcivi: bonitatem demonstro, dum quotidie animas creo, et in corpora hominum nascentium immitto et conservo. Ergo multo magis eadem omnipotentia, sapientia et bonitate fulciam et defendam Jerusalem, hostesque ejus coram ea collidam et confringam. Hinc mystice, cælum est symbolum Ecclesie christianæ, quam Deus per totum orbem extendit; terra autem, populi Judaici, quem Deus in medio Ecclesie quasi suspendit.

2. ECCE EGO PONAM JERUSALEM SUPERLIMINARE CRAPULÆ. — Hebræum *ספ* *soph* significat duo: primo, limen et superliminare; secundo, calicem vel poculum, uti vertunt hic Chaldaeus, Vatablus, Pagninus, Arias et alii (2). Rursus *רעל* *real* significat primo, tremorem; secundo, crapulam; tertio, soporem; quarto, venenum; quinto, stuporem; sexto, concussionem. Unde alii vertunt, *vas ebrietatis*; alii, *vas tremoris*; aut, ut Syrus, *portam tremoris*; vel ut Arabicus, *portam commotionis*; alii, *calicem veneni soporiferi*; alii, *craterem stuporis*.

(2) Hic sensus magis nativus nobis videtur: *Ecce ego reddam Jerusalem calicem inebriantem omnibus gentibus in circuitu*; id est, populi undique magno cum ardore ad Jerusalem confluent, victuri; sed potus hic, expugnatione et direptione restricturi; sed potus hic, quem sicut, ita eos inebriabit, ut vertigine correpti ruant, atque ad mortem soporentur.

Verum Septuaginta et Noster tam hic quam *Amos* cap. ix. 4. vertunt, « superliminare erapula, vel commotionis; » *Ezech.* cap. xxiii. 31, « superliminare tremulum, » vel *mobile*. Sub superliminari intellige postes laterales, qui limini inferno ostii superstant et incumbunt; sic enim habent Septuaginta; *Ego pono Jerusalem sicut superliminaria qua moventur omnes populi in circuitu*. Jam \rightarrow *Superliminare erapula*, vel tremoris, stuporis et concussionis, dupliciter accipi potest: *primo*, passive, *q. d.* Redigam Jerusalem in tantas obsidionis angustias, ut ipsa iis quasi ebria tremere et insanire videatur: est enim hoc onus Jerusalem. Unde et sequitur: « Sed et Juda erit in obsidionem contra Jerusalem. » Ita Theodoretus et Eusebius lib. VIII *Demonstr.* cap. iv. *Secundo*, active, *q. d.* Gentes obsidentur Jerusalem ut ejus vino et spoliis se satient et inebriant; sed ego eas in tantas clades et strages impellam, ut iis quasi veneno lethifero ebrii, in tremorem, stuporem et amentiam ediganter: angustiabuntur Jerusalem, sed ibidem angustiantur ipsi; et laqueus quem aliis posuerunt, in eorum caput incidet: sicut Aman in cruce quam fixerat Mardocheo, suspensus est. Sic enim vers. seq. lapidem oneris Jerusalem explicat active, non passive, scilicet qui oneret et collidat, non Jerusalem, sed hostes eam dirixantes. Est metaphorica a calice aureo, optimo vino plano, sed venenato, ad quem certatim accurrunt sitibundi, sed mox ut eum gustarint, tremere, stupere, animam egere incipiunt. Simili modo, Babylon dicitur propinare gentibus cellam auream maledictionis, eoque inebriare, soporare et dementare omnes gentes, *Jerem.* cap. li. 7. Jam eodem redit sensus, sive *saph* veritas calicem, sive limen vel superliminare, *q. d.* Quicumque hostis attingit limen Jerusalem, mox quasi ebrius et mente captus, tremere et furere incipit: sicut de Sinylla Cumana narrat Virgilius *VI Aeneid.*, quod mox ut limen ante sui fastidii ingrediebatur, extra se raptus, furere et vallicinari incipiebat. Talis est et haec Napolim, in quem si inflicta canem, illico emori et exanimari videtur; quem si in laeum adversum inferas, statim ad se redit, et reviviscit. Ita S. Hieronymus, Remigius et Hugo. Rursus a Casiro sic exponit, *q. d.* Ponaui Jerusalem velut superliminare minans ruinam omnibus ingredi volentibus, quos tremere faciet quasi ebrios, ac venefico potu infectos: nam mox ut limen attingunt, contremiscent et corrumpunt. Palacius vero et Mariana sic, *q. d.* Ponaui Jerusalem superliminare erapula, in quod scilicet hostes furere ebrii impingent, caputque collident, *q. d.* Qui impugnant Jerusalem, quasi ebrii et insani cadent et corrumpent. Alii, *q. d.* Jerusalem erit hostibus obsidentibus quasi calix veneni mortiferi, quod bibentem morte aeterna consopit. Ad litteram loquitur de Jerusalem areolata et afflicta ab Antiocho Epiphane, ejusque assellis, quos Judas et Macha-

Superliminare erapula quod?

baei ceciderunt, ut corrumpent quasi temulentii. Allegorice, loquitur de Ecclesia primitiva, quam persequuntur Nero, Dacius, Diocletianus; sed Deus eos quasi ebrios percussit et oppressit. Quocirca Alcazar in *Apocal.* cap. xi. 13, notat. 12, ex Theodoro sic exponit, « quasi superliminare erapula, » id est sicut in erapula ebrio, ob vertiginem capitis moveri videntur superliminaria; sic revera commovabitur Jerusalem, id est Ecclesia, itaque persecutionibus concutietur, ut ruitura videatur, et vicini populi se invicem cohortentur, ut ab ea sibi caveant, ne ejus ruina involvantur. Aut, *q. d.* Vicini populi Ecclesiam limina respicient tanquam erapulam, ebrietatem et insaniam; ac christianis insultant quasi ebriis et insanis; sicut pueri ebrium insectantur, illudant, ac vacillantem et labantem impellunt ut corrumpat. « Sed et Judas pugnabit contra Jerusalem, » *q. d.* Non soli Gentiles persequuntur Ecclesiam, sed et Judei; qui tamen a Deo illuminati, pro Ecclesia contra Gentiles arma sument, magnanimitate in ipsis stragem edent, ut ait Zacharias vers. 6. Paulo aliter Ribera, *q. d.* Sicut ebrius superliminare domus quam ingredi voluit, moveri videtur, et ideo ipsi quasi insani, putantes se commoveri, corrumpunt; sic accidet hostibus Ecclesiae, qui ad eam oppugnandam veniunt; corripient enim insaniam quasi erapula, itaque corrumpent. Addit Delrio *adagio* 1020, forte idcirco Septuaginta verissime *superliminaria*, in plurali, eo quod ebriis omnia videntur gemina, sicut et enthesi. Minus recte Rupertus erapulam in bonum pro satietate accipit, *q. d.* Ecclesia erit domus erapulae, id est satietatis et ebrietatis spiritualis, de qua in Pentecoste dicitur *Actor.* ii, quod Judei Apostolos misto plenos et ebrios judicarent.

Porro videtur alludere Zacharias ad illud *Jerem.* cap. xxv. 48: « Sume calicem vini furoris hujus de manu mea: et propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te. Et bibent, et turbabuntur, et insanient a facie gladii, quem ego mittam inter eos. Et accipit calicem de manu Domini, et propinavit cunctis gentibus, ad quas mittit me Dominus: Jerusalem, » etc. Et magis ad *Isaia* xxix. 8: « Sic erit, ait, multitudo omnium Gentium, quae dimicaverunt contra montem Sion: obstupescite et admiramini, fluctate et vacillate: inebriamini, et non a vino: movemini, et non ab ebrietate. Quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros, » etc. Et clarus *Jerem.* cap. xxv. 27: « Hec dicit Dominus: Bibite, et inebriamini, et vomite: et cadite, neque surgatis a facie gladii, quem ego mittam inter vos. » Ecce haec est erapula, non vini, sed vindictae Dei, de qua Zacharias hic. Vide illi dicta. Voluerunt enim Graeci calicem furoris sui, caedis et sanguinis inebriare Jerusalem; sed eodem per Machabeos inebriati sunt a Deo, qui, ut ait *Psaltes Psalm.* lxxvii, 68, « excitatus est tanquam

Superliminare erapulae est tabernaculum.

dormiens Dominus, tanquam potens erapulatus a vino. Et percussit inimicos suos in posteriora: opprobrium sempiternum dedit illis. » Idem multo magis, et saepius fecit infidelibus persecutoribus Ecclesiam. Nulla enim natio est, quae Christum et Ecclesiam immaniter aliquando non sit persecuta, cum eminus tantum ejus superliminaria, id est Christum crucifixum vidit, ejusque doctrinam paradoxam audivit, scilicet: « Beati pauperes: Beati qui lugent: Beati qui esuriunt, » etc. Haec enim omnia mundus abhorrebat et odiebat, donec internam ejus pulchritudinem, gratiam, consolationem et spiritum vidit et gustavit. Haec de causa, *Cont.* i, Ecclesia dicitur esse sicut pelles Salomonis, et sicut tabernaculum Cedar, exterius scilicet horrida, nigra, et aestu persecutionum adusta. Quare qui ejus admirabiles divitias videre vult, domum ejus intret oportet, et non in limine maneat. Hinc ab initio mundi inter probos et improbos aere et perenne fuit bellum: semper enim inter se contraria pugnant, ut osidum et frigidum, album et nigrum, virtus et vitium, Deus et diabolus. Hujus rei symbolo censet *Stunica*, primum miraculum a Christo factum esse in vino ex aqua producto, quia scilicet Ecclesia ab ipso stabilienda erat vas erapulae.

Tropologie, Messana per *superliminare erapulae* intelligit cantharum, vel ramum hederam aut vitis, quem emolpe ad limen tabernae suspendunt, ut transientes invitent ad introeundum, ibique potandum et inebriandum se. Haec accedit Albertus, qui sic exponit, *q. d.* Ponaui Jerusalem patentem introitum adventibus ad eam, sicut ad erapulam, qua insatiabilis eorum pascatur cupiditas. Sic ergo superliminaria erapulae significat tabernam, ganeam, popinam, etc. in quibus viget ebrietas et erapula, quibus proinde onus Dei hic Propheta tentat. Propter erapulam enim, aere ac alia scelera, videtur Deus hoc onus inposuisse Hierosolyma. Unde Sanchez « superliminare erapula » accipit prostibulum gibe et libidinis, puta Ephebian in Jerusalem ab impio Jafone constitutum, in qua optimi quique juvenum publice cullebat ad infandam libidinem prostuebantur. Hoc enim prostibulum vocari erapula, quia symbolo erapulae, id est scypho, in superliminari exstante, quasi indice et titulo erit insignitum. Scyphus enim Herculi et Baccho sacer erit, insigne erapulae, indeque sequenti libidinis. Porro idipsum sacrilegus constituerat juxta templum, imo in ipso templo. Nam, ut dicitur *II Machab.* vi: « Templum luxuria et comessionibus Gentium erat plenum, et scortantium cum meretricibus. » Gentiles enim in templis publica agitas convivia docet Aristoteles lib. VII *Politice.* cap. xii. Unde et Sichi-mite, epulantes in fano dei sui Berith, maledicebant Abimelech, ut dicitur *Judic.* cap. ix. 17.

Dices: Deus dicitur hic positurus Jerusalem in superliminare erapulae. Deus autem non potest

excitare erapulam proprie dictam; haec enim est peccatum ebrietatis. Respondeo: Jerusalem posuerat se superliminare erapulae proprie dictae; sic Deus idcirco posuit eam superliminare erapulae metaphorice, ut scilicet, quae erapulae erat ebrietate et culpa, erapularetur poena, ac inebriaretur suo sanguine Deique vindicta, *q. d.* Puniam eam plagsique inebriabo, ut iis ostendam totum mundo eam se fecisse ganeam et tabernam erapulae. Est ergo in hac tropologia metonymia vel metalepsis, qua ex consequente antecedens, ex effectu causa, ex poena culpa intelligitur: alioqui enim incommoda est et incongrua, utpote a sensu litterali dissidens eique repugnans. Hoc recte adaptes bacchanilibus in Bacchanilibus, quando multis in locis eum magna christiani nominis ignominia, magnaque infidelium infusione, irrisione et probro omnes pene domus, totaque civitas fit superliminare erapulae, ita ut ei jure hic titulus dari et inscribi possit: Haec est domus erapulae: Haec est civitas, non Christi, sed Bacchi: Hi dies sunt bacchanium, stultorum et insanorum, non christianorum, ut in nonnullis Calendaris impressum legi.

SED ET JUDA, — *q. d.* Non solum Gentes, sed et Judei peridi, vel transfuge obsidebant Jerusalem, eoque affligent, ut ipsa arumnis videatur ebria; sed has arumnas Deus derolvit in ipsos Judaeos perfidos et transfugas, eosque plagis et caecorum sanguine inebriabit. Talis transfuga fuerunt Jason et Menelaus, qui profugi ad Antiochum, Jerusalem obsederunt, ceperunt et vastaverunt, ut dixi cap. praeced. vers. 13. Idem alii plurimi, qui minarum et tormentorum Antiochi metu, a judaismo ad gentilissimum apostatarunt, de quibus I *Machab.* cap. i, 44 et 53, et II *Machab.* cap. iv et v, ac Josephus lib. XII *Antiq.* cap. vi.

Allegorice, prima persecutio Apostolorum et Ecclesiae fuit a Judeis, ut patet ex *Actis Apostolorum*. Ita Arias et Vatablus.

3. PORAM JERUSALEM LAPIDEM ONERIS CINCTIS FORIS. — Syrus, lapidem concutietur: Septuaginta, lapidem qui concutietur: Chaldaeus, lapidem offensivis: Arabicus, lapidem subjectionis.

Queres, quis lapis oneris? Respondet optime S. Hieronymus (quom proinde Remigius, Rupertus, Gloss, Ribera et alii passim sequuntur) dicens: « Mos est in urbibus Palaestinae, et usque hodie per omnem Judaeam vetus consuetudo servatur, ut in viculis, oppidis et castellis rotundi ponantur lapides gravissimi ponderis, ad quos juvenes exerebare se soleant, et eos pro varietate virtum sublevare, alii ad genua, alii ad umbilicum, alii ad humeros et caput, nonnulli super verticem rectis junctisque manibus, magnitudinem virium demonstrantes, pondus extollant. In aere Atheniensium juxta simulacrum Minervae, vidi spectare aneam gravissimum ponderis, quem ego pro imbecillitate corpusculi movere vix po-

vers. 3.

Lapis oneris quis?

tui. Cum quererem quidam sibi vellet, responsum est ab urbis ejus cultoribus, athletarum in illa massa fortitudinem comprobari, nec prius ad agonem quemquam descendere, quam ex levatione ponderis scilicet, quis cui debeat comparari. Sensus ergo iste est: Ponam Jerusalem cunctis gentibus quasi gravissimum lapidem sublevandum. Levabunt quidem eam, et pro virum varietate vastabunt; sed necesse est ut dum levatur, in ipso nixu et elevatione ponderis, gravissimus lapis scissuram aliquam vel rasuram in levantium corporibus derelinquat. » Hic est lapis operis, oneratum et portantem comedens et opprimens, cujus meminit Ecclesiasticus cap. vi, 22, dicens: « Quasi lapidis virtus probatio erit in illis, et non demorabuntur proficere illam, » q. d. Sapientia est lapis oneris, quem quisque levando probat suas vires et robur. Unde stulti et improbi eum aliquosque levant, sed mox ut sentiunt ejus pondus, illico abijciunt. Hinc Græca habent: *Quasi lapis probationis fortis erit in illo.* Ilijus lapidis æque ac plumbi athletici meminit Hieronymus Meronialis lib. II *Gymnastica*, cap. xi. Jam Theodoretus, Remigius et Hugo censent Jerusalem fuisse « lapidem verum, » cum expugnata est a Tito et Romanis. Verum hic de tempore Antiochi et Machabeorum agitur, non Titi et Romanorum. Hæc enim Jerusalem non fuit lapis oneris, sed pila prædæ et gaudii.

Dico ergo ad litteram significari hic, quod Antiochus et Græci suis copiis ex omnibus gentibus collectis oppugnaturi sint Jerusalem, ut eam quasi lapidem oneris ex Judæa exportent in Græciam, sed ab ea quasi a lapide oneris, per Machabeos concidendi sint et conterendi: id enim ita factum esse non semel, sed sæpius per intervalla temporum recto ordine demonstrat a Castro. Nam in primis Ptolemæus Philopator, dum templum ingressus vellet in Sancta sanctorum penetrare, sacerdotibus opem divinam implorantibus, pene mortuus cecidit et enectus divina vi, nisi citissime e templo a suis eductus fuisset, ut in lib. II *Machabeorum* refertur. Heliodorus, missus a rege Seleuco ad spoliandum terrarum templi, flagellatus discessit, II *Machab.* cap. III. Jason vi ingressus civitatem, per diversa loca profugus interit honore sepulture privatus. Antiochus Epiphanes urbem templumque spoliavit per seipsum, I *Machab.* cap. I, et II *Machab.* cap. V; deinde per Apollonium et Lysiam: sed male perit iniquus, ut dicitur I *Machab.* cap. VI, et II *Machab.* cap. IX, postulans misericordiam ab eo, a quo non erat adepturus. Alcimus deinde missus a rege Demetrio obsedit Jerusalem, I *Machab.* cap. IX, et præcipiens destrui atrium interius et opera Prophetarum, percussus paralyti, et graviter tortus interit. Antiochus Sedetes Judæam devastavit, et Hierosolymam obsedit; sed divinitus tactus sacrificium obtulit, et federe inito recessit, ut refert Josephus lib. XIII *Antiq.* xv.

Post hos Romanorum Pompeius primus Judæam subjugavit, Hierosolymam templumque adyta ingressus, nunquam deceps prospere rem gessit in bellis, donec in acie Pharsalica universus ejus exercitus verso ad Hierosolymam cecidit vultu, ipseque fugiens in Egyptum casus est. Denique M. Crassus, contra Parthos profectus, templum Hierosolymitanum spoliavit: ideo a Parthis cum filio et universo exercitu trucidatus, liquato in os ejus auro injecto, sui sacrilegi prænas exsolvit, ut refertur Josephus lib. XIV *Antiq.* cap. XIII, et Plutarchus in *Pompeio et Crasso*. Ex quibus constat per multos annos urbem Hierosolymam a multis regibus ac duobus obsessam, et Dei munere liberatam, non sine eorum concisione. Verum quoque deducitur collecta fuisse adversus Jerusalem omnia regna terra.

Porro solerter conficit Sanchez Prophetam in hoc lapide oneris respicere ad palestram, quam æque ac ephebiæ, ritu gentilitio in Jerusalem instituit impius Jason, in qua gestando onere et disco certabant tanta frequentia et concursu, ut sacerdotes festinarent participes fieri palestræ, et prætionis ejus injustæ, et disci, » II *Machab.* cap. IV. Ubi nota: Discus erat massa rotunda, seu globus ex ferro, plumbo, saxo, quo adolescentes vires explorabant, illum vel elevando, vel jactando, ut qui altius eum elevaret, vel longius jaceret, ille vinceret. Unde eos *discobolos* vocat Plinius lib. II, cap. XXXIV, de quibus Martialis lib. XIV:

Splendida cum volent Spartani pondera disci:
Este procul pueri, sit semel ille necens.

Allegorice, Ecclesia est lapis oneris, quem levare, tollere et abjicere voluerunt Judæi et Gentiles; sed omnes ab eo concisi et oppressi sunt, ut patet in Nerone, Decio, Valeriano, Juliano, etc., sed maxime in Diocletiano et Maximiano, qui jurarunt se extirpaturos Christi Ecclesiam et fidem, vel certe imperium deposituros. Secundum præstiterunt, quia prius prestare non poterunt. Unde uterque a Constantino, primo imperatore christiano, ad necem et restim adactus est.

Anagorice, Ecclesia et Christus erunt lapis oneris, qui opprimet impios in die judicii, deprimetque in tartara, de quo Christus *Matth.* cap. XXI, 44: « Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem vero ceciderit, conteret eum, » q. d. Qui resisterit Christo, quem Deus in Ecclesia posuit lapidem angularem, puta lapidem oneris, et petram scandali, eumque persecutus fuerit, frustra id faciet. Nam sibi in corpore et animo perniciem accersit, ita tamen ut non penitus conteratur, sed per penitentiam reparari possit: super quem vero ceciderit hic lapis, id est ille cui Christus gravi sua unctione incubuerit, quales erunt damnati in die judicii, huic nulla spes reliqua erit redintegrationis;

perinde ac si lapis grandis et vas testaceum deciderit, illud in minutissima frusta confringit, ut nullo modo reparari queat. Ita S. Augustinus lib. I *Quæst. Evang.* Quæst. XXX, tom. IV.

4. PERCUITIAM OMNEM EQUUM (scilicet hostilem, puta Antiochi et Græcorum per Machabeos) IN STUPOREM, — id est ad stuporem, ut scilicet omnes videntes stupeant ad plagam tantam tantumque subitam, et ipsi equites præ stupore et pavore quasi versi in amentiam, nesciant quo fugere, vel quid agere debeant. Ita S. Hieronymus, Theodoretus et alii (1).

ET SUPER DORUM JUDA APERIAM OCULOS MEOS, — ut scilicet protegam Judæam et Judæos, imo ut ii qui metu Antiochi prolapsi sunt in gentilismum, ejusque copiis mixti pugnaverint contra patriam, respiciant, sumptisque animis jungant se Machabeis, et patriam propugnent. Ita factum legimus I *Machab.* cap. II, 29.

Allegorice, q. d. Faciam ut Judæi qui Ecclesiam persequabantur, videant suum errorem, et ad eam convertantur, eamque propagent, uti configit S. Paulo *Aetor.* IX. Ita S. Hieronymus.

ET OMNEM EQUUM POPULORUM PERCUITIAM CECITATE. — Est catachresis et synecdoche; per *cecitatem* enim accipit stuporem et metum, quo correpti equi quasi cæci, nesciebant quo fugere deberent: proprie etiam multi equi hostium a Machabeis in capite percussi et excecati sunt. Nam II *Machab.* cap. X, 29, dicitur: « Apparuerunt adversarii de caelo viri quinque in equis, frenis aureis decori, ducatum Judæis præstantes: ex quibus duo Machabeorum medium habentes, armis suis circumseptum incolorem conservabant: in adversarios autem tela et fulmina jaciebant, ex quo et cecitate confusi, et repleti perturbatione cadebant.

5. ET DICENT DUCES JUDA IN CORDE SVO. — S. Hieronymus sic exponit, q. d. Judæi ex metu transfuge, et cum copiis Antiochi obsidentes Jerusalem, non ore, ne audiantur, sed corde suo dicent et precabuntur: Domine, conforta cives Jerusalem, in hæc Antiochi copiis resistere queant; ut sic victi cum hostibus, quibus coacte servamus, vincamus cum civibus, quos intime amamus. *Sermão* et planius, q. d. Machabeis in corde suo precabuntur Deum, ut confortet cives Jerusalem, ne Antiocho succumbant. Ita Judam Machabeum legimus pene semper ante aciem orasse, et Dei opem implorasse, eaque victoriam obtinuisse.

Allegorice, duces Juda sunt Apostoli, qui ora-

(1) Quam vero tempore Machabeorum percussæ fuerint gentes in stuporem objectis terribilibus spectris, aut alio quovis modo infecto pavore, satis constat ex lib. II *Machab.* Apollonius ait Calmetus, Seton, Philippus, Nicænor, Gorgias, Bacchides, Timotheus, ipsi etiam reges Syriæ non semel experti sunt spiritum vertiginis, terroris, stuporis in suis copiis effundi, et manum invisibilem pro Israel adversus eos pugnare.

runt Deum ut Jerusalem, id est Ecclesia, omnibus tyrannis fortiter ad mortem usque et martyrium resisteret. Ita Albertus et Arias.

6. PONAM DUCES JUDA SICUT CAMINUM IGNIS, — q. d. Vers. 6. Faciam ut Machabeis, et mystice Apostoli quasi ignis omnia circumcirca populerint, superant, subjiciant et ad se convertant. Vide gesta Judæ, Jonathæ et Simonis in lib. *Machab.* Id in Apostolis patuit in Pentecoste, quando Spiritus Sanctus eis inedit specie linguarum ignearum: unde mox eloquii suis ignitis multa hominum millia, ac sensim totum mundum ad Christum converterunt. Ita S. Hieronymus, Remigius, Albertus et alii.

ET SICUT FACIEM IGNIS IN FORNO. — Ita Romana. Alii pro *faciem* legunt *faciem*; alii, *facem*, et ita vertunt Septuaginta, Chaldaeus, Pagninus, Vatablus et alii. Hoc enim significat hebræum *פניו* *lappid*, scilicet lampadem et facem. Eodem omnia redeunt: facies enim ignis est fax, celerissime combrens et consumens lænum, cui injicitur.

BUTRABITUR JERUSALEM, — q. d. Jerusalem prius vacuata civibus, profugis ob metum Antiochi, virtute Machabeorum, iis rursum impletur, ut in ea sicut ante, habitent pacifice, frequentes et opulenti, ut patet I *Machab.* cap. XIV, 4; idque pene usque ad tempus Christi, qui eam aliis incolis caelestibus et divinis, puta Apostolis et primivis christianis ditavit et decoravit. Nota pleonasmus hebraicum, cum dicit Propheta: « Habitabitur Jerusalem rursus in loco suo in Jerusalem; » redundat enim *in Jerusalem*. Nil enim aliud vult dicere, quam Jerusalem non alio, sed eodem in loco quo prius ædificandam et habitandam: quod ut plane, plene et certo futurum significat, addit *in Jerusalem*. Multæ enim civitates dirute, postea non eodem, sed alio vicino in loco ædificate sunt, ut Tyrus nova: nam vetus Tyrus dicitur Palætyrus, et a Tyro nova longiuscule distat. Sic Roma moderna alia est a veteri. Sic et Tuscanum: Roma et Jerusalem moderna alio est in loco, quam fuerit vetus; nam mons Calvaria, qui olim erat extra urbem, jam est in urbis quasi medullis. Prædicat ergo Zacharias Jerusalem sub Machabeis eodem prorsus quo prius restaurandam, frequentandam et magnificandam.

Allegorice, Jerusalem est Ecclesia Christi, quæ licet gravissimis persecutionibus agitata sit, et *Allego-* sedibus suis quasi pulsa, suo tamen loco semper constitit, imo firmius se et copiosius in eodem locavit, v. g. Jerusalem nostra est Roma, ex qua licet imperatores constati sint pontifices et christianos, ideoque centena martyrum millia exquisitissimis tormentis emecarint, illi tamen semper in ea persistunt, imo numero et robore creverunt, donec tandem toti non tantum urbi, sed et orbi sunt dominati. Unde S. Ambrosius in cap. IX *epist. ad Romanos*, legit: *Ponam Jerusalem in omnibus gentibus*; « quia, ait, ubique futuri erant

(per Christum) filii Dei, et domus Dei in omnibus locis, quae est Ecclesia. »

Vers. 7. 7. SALVABIT DOMINUS TABERNACULA JUDA. — Est prolepsis, sive occupatio. Ocurrit enim tacite objectioni : Quomodo Jerusalem et Juda salva consistent inter tot hostes ? ac respondet id non ejus, sed Dei viribus futurum. Deus enim salvabit ea, eorumque domos, etiam rusticanas, quas proinde vocat tabernacula, praesertim quia primitus Hebraei in deserto non in aliis domibus quam tabernaculis habitaverunt.

Allegorice, « tabernacula » sunt particulae Ecclesiae, ad quas licet olim christiani metu persecutionum, vix, et non nisi nocte, paucique convenire auderent, Deus tamen servavit eas, imo auxit et dilatavit, sicut olim « in principio » Synagoga, puta in deserto, antitypa Hebraeorum tabernacula ab hostibus, aequae ac ab aëre, imbribus et procellis illaesa servavit.

UT NON MAGNIFICE GLORIBRETUR DOMUS DAVID, — q. d. Ne Hierosolymita, et praesertim posterii Davidis gloriantur, quod ipsi suis viribus tam se quam Judaeos in vicinis oppidis et pagis habitantes, contra Antiochum ceterosque hostes propugnarent; ecce ego dico et edico me tam Hierosolymitas quam Judaeos ceteros salvatorum. Mihi ergo omnes se submittant, mihi quae suam salutem acceptionem referant; ego enim Machabaeis fortitudinem animosque dabo, quibus pauci contra maximos exercitus dimicantes, eos sternant et profligent. Id professus est Judas Machabaeus, II Machab. cap. viii, 18, et alibi; itaque a Deo victorias miraculosas obtinuit. Nota : « Domus David » vocatur posterii Davidis, eorumque familiae, quae plurimae erunt et nobilissimae in Jerusalem. Rursum « gloria habitantium Jerusalem, » per hypallagen vocatur cives habitantes in Jerusalem gloriose : « Gloriosa enim dicta sunt de te, civitas Dei, » Psalm. LXXVI, 2. Juda vero vocantur ceteri Judaei, qui circum Jerusalem in villis et urbibus habitabant. Similis hypallage est apud Poetam, cum ait : « Trade ratem ventis, » pro trade ventos rati. Et : « Perflavit fistula buccas, » pro buccae perflarunt fistulam (1).

Allegorice, « domus David » sunt Apostoli, similesque Ecclesiae principes : « gloria habitantium Jerusalem, » sunt doctores, virique religiosi et sanctitate illustres : hi enim sunt gloria Ecclesiae. Hi quoque non possunt gloriari contra Judam, id est populum et plebem fidelem, quasi ipsi suis viribus eam protulerint, cum hoc Dei ejusque gratiae sit opus. Ita Albertus, Hugo et Vatablus.

Tropologic. Tropologicè Clarius : Domus, ait, David et

(1) Temporibus Machabeorum, ut bene notat Ackermann, non familia Davidis, non incolae Hierosolymae auxilium tulerunt primo, sed sacerdos Mathathias ex Modin collegit fortes Judaeos, regionem peragravit, debiles melioravit, apostatas puniebat, et Syro-Macedones perdebant filius ejus Judas praelia commisit, etc.

gloria Jerusalem sunt reges, principes, nobiles et divites. Hi non possunt gloriari contra Judam, id est plebem fidelem, quae ipsi sua nobilitate, potentia, opibus, fidei et locum in Ecclesia digniorem obtineant, cum hoc sit mera gratie Christi, quae in christianismo aequat ignobiles nobiles, pauperes divitibus. Nam, ut docet Apostolus, in Christo Jesu non est Judaeus, neque Graecus : non servus, neque liber : non dives, neque pauper; sed omnes unum sunt, puta nova Dei creatura, imo in christianismo primas et potiores partes tenent pauperes, tum quia Christus praedicaavit pauperibus, Lucae cap. iv, 48, et pauperes praedicaavit beatos : tum quia regni sui proceres constituit pauperes Apostolos, per quos reges et principes convertit, juxta illud I Corinth. i, 26 et 27 : « Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles : sed quae stulla sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, » etc. Et Jacob. cap. ii, 5 : « Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et haeredes regni, quod reprobavit Deus diligentibus se? » Denique divites et nobiles majora habent impedimenta humilitatis et virtutis christianae, quam pauperes; honores enim inflant, opes et deliciae mentem enervant; quare majori egent gratia Christi, quae hae vincula dirumpant, quam pauperes. Quocirca ob majorem gratiam sibi factam, majores tenentur agere gratias Christo.

8. QUI OFFENDERIT EX EIS. — Tigurina : Qui impigerit. Hebraeum enim כָּסַף *casaf* significat impingere, vel offendere in rem aliquam, v. g. lapidem, indeque corrumpere et infirmari. Unde Septuaginta, Chaldaeus et Pagninus vertunt : Qui infirmus fuerit ex eis; Vatablus : Qui delitibus fuerit, erit quasi David; Arabicus : Quasi qui ad David, scilicet pertinet. Jam sensus est, quasi dicat : Machabaei eorumque socii, qui pauci et invalidi videbantur, Dei ope fient validi bellatores instar Davidis, qui, licet juvenis et pene puer esset, tamen leonem, ursum et Goliath gigantem interfecit : imo qui ex eis offenderint, dum metu Antiochi apostabunt a judaismo ad gentilismum, hi videntes animos et victorias Judae et fratrum ejus, cum Davide in homicidium et adulterium lapsos penitentiam agent, fidem resument, ac cum fide novos animos et vires instar Davidis capepsent. Ita si factum esse narrant libri Machabeorum, Ita S. Hieronymus, Theodoretus et alii initio cap. citati.

Allegorice, id verius in Ecclesia, ubi infirmi, imo feminae, pueri et puellae Christi gratia ita fortes evadunt, ut mundum, carnem, diabolum, carnifices, ignes, bestias, et tormenta omnia superent, uti patuit in S. Agnete, Caecilia, Dorothea, Lucia, Pancratio, Vito, Celso, et in dies patet. Rursum, qui in peccatum aliquod lapsi sunt, a Deo tacti fortiores resurgent, instar Davidis

Vers. 8.

Deus in infirmis excelsis exultat et rebor.

penitentis, uti patuit in SS. Petro, Paulo, Mattheo, Magdalena, Pelagia et plurimis aliis. Ita S. Gregorius homil. 20 in Ezech., Albertus, Hugo et Lyranus hic. Aliter Arias, q. d. Infinitii sancti novae legis poterunt conferri cum maximis sanctis legis veteris, qualis fuit David. Haec ergo est ingens consolatio sanctorum Christi, quod ipse eligit infirma mundi, eaque ita validet, ut confundat fortia; nam virtus ejus in infirmitate nostra perficitur, II Corinth. cap. xii, 9. Qui ergo infirmus est, vel aetate, vel sexu, vel valetudine, vel animo, dicat cum S. Paulo : « Omnia possum in eo qui me confortat. »

ET DOMUS DAVID QUASI DEI. — Hebraeum quasi *Elohim*, quod vel in nominativo, vel in genitivo accipitur. In nominativo accipiunt Vatablus, Pagninus, Syrus et Arabicus Antiochenus, dum vertunt : Domus David erit quasi Deus, quod explicat Propheta dum subdit : Sicut angelus Domini, q. d. Domus David erit fortis instar angeli Dei. Hebraeum enim *Elohim*, non tantum Deum, sed et angelos, heroes, duces ac principes significat. Unde Chaldaeus vertit : Domus David instar heroum feliciter agat, ac si angelus Domini in conspectu eorum esset (1); Septuaginta vero, Arabicus, Alexandrinus et Noster *Elohim* accipiunt in genitivo : Domus David erit quasi domus Dei, quia scilicet erit fortis sicut angelus, qui est de domo Dei. Et sic uterque sensus, et utraque versio eodem redit. Significat principes Juda (hi enim erant ex domo et posteritate Davidis) validissimos fore, ut vires non humanas, sed divinas habeant, ac instar angelorum facile Antiochi hominumque omnium acies profligent. Tobus ergo versus hic est sensus : Sub Machabaeis plebs timida et infirma, ita Dei ope valida fiet, ut Davidi valido bellatori comparari queat : principes vero non tantum cum Davide, sed et cum angelis in fortitudine, ducatu, providentia et regimine comparari poterunt. Ita factum est : nam Judas, Jonathas, Simon viribus et victoriis superarunt Davidem, adeoque angelorum ope et ductu dimicaverunt et vicerunt. Nam angeli in hostes eorum jaculati sunt tela et fulmina, uti narratur II Machab. cap. x, 30. Et cap. xv, 16 dicitur Jeremias apparuisse et dedisse Judae aureum gladium, dicens : « Accipe sanctum gladium munus a Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israel. » Exinde ipse et assecle ejus facti sunt quasi domus Dei, id est quasi divinum asylum, ad quod omnes Judaei ab hostibus afflicti, quasi ad certam salutis anchoram confugerent, iisque quasi angelis ad salutem missis confiderent; quin et Gentiles, ut Spartani et Romani, eorum auxilium ambirent, ut patet I Machab. cap. xii, 1, et cap. xv, 17. Ita Theodoretus. Porro Judas cum

fratribus, licet oriundus ex Levi, non ex Juda et David, vocatur domus David; quia domus David totaque respublica Judaeorum, eum sibi in caput et ducem elegit. Succedit ergo Davidi in principatu, et regimine suae domus, tribus et populi Juda. Alitudo ad domum fortium Davidis : David enim quia bellicosus erat, et in assiduis bellis versabatur; hinc pariter milites et duces habebat, vel exerceo faciebat bellicosissimos, inter quos eminebant triginta septem qui lib. II Reg. cap. xxiii, 8 et sequent., recensentur, et vocantur « fortes David, » quorum tres primi et fortissimi erant, Isesbaam, id est sedens in cathedra, Eleazar et Semma, de quibus dicitur : « Usque ad tres primos non pervenit. » Unde Adrichomius in Descriptione Jerusalem, depingit domum fortium Davidis, in qua illi heroes Davidis habitabant : ubi etiam caeu in palestra athletae et pugiles exercitii causa digladiationibus certabant, citaque pro hac re Nehem. cap. iii, 16, et ibidem Lyranus. Sensus ergo est, q. d. Domus David, id est posterii et assecle Davidis, puta Machabaei, adeo erunt bellicosi et fortes, ut domum eorumque fortium Davidis, adeoque tres ejus primos et fortissimos robore aequent, imo superent.

Allegorice, David est Christus : hic est fortis ut magni consilii angelus, imo ut Deus; quia vero Deus fuit, aequae ac homo. Domus et familia Christi fuerunt Apostoli et viri apostolici, quos ipse constituit principes suae Ecclesiae, quae est domus Dei, eoque tam validos, ut angeli, vel dii viderentur potius quam homines, praesertim quia angelorum vitam in terris agebant, ac quasi angeli mediatores erant inter Deum et homines. Ita Vatablus, Ribera et alii paulo ante citati.

Tropologicè, domus David est religio, in qua instar Davidis omnes psallunt laudantque Deum, ideoque fortes in spiritu evadunt ad astra quaeque superanda, ut David. Hinc eadem est domus Dei, in qua religiosi vivunt quasi angeli : utriusque enim sunt de domo Dei, quia Deo asstant et Dei nuntii sunt, et praesent castra populi, quasi strenui milites et duces. Adde eos angelis esse familiares, et ab illis regi, juxta illud Ezech. cap. xxxii : « Praecedet te angelus meus, et introducte te ad Amorrhaeum. » Denique S. Gregorius homil. 20 in Ezech., per domum David accipit domum penitentium : « Haec, ait, dies misericordiae, quae nobis de adventu redemptoris nostri promissa est. Qui itaque offenderit, erit quasi David : quia peccator ad penitentiam redit. Domus autem David quasi domus Dei : quia reversus quisque ad justitiam, habitatio efficitur Creatoris sui, ut si sicut angelus in conspectu ejus : quia misericordiae viscera quae in se expertus est, annuntiando aliis propinat. »

9. QUERAM CONTEBERE. — Hebraice *לְחַשְׁדֵּי* *le-Hasudim*, id est disperdere, q. d. Satagant ut Graeci abique gentes, quae oppugnabant Jerusalem, a

Davides sunt Apostoli.

Et reli- giosi.

(1) Respici videtur ad historiam eductionis ex Aegypto, ubi Dei angelus castra Israelitica, ut sui populi dux praecedebat.

Machabæis eorumque posteris conferantur et disperdantur, utque Jerusalem continua quasi pace fruatur usque ad Christum, qui quasi novus Salomon pacis filius, imo pater, pacem plenam et divinam orbi afferet. Ita Theodoretus. Nota, cum ait *omnes gentes*, intelligi Græcis vicinas et subditas, vel confederatas. Nam, ut ait S. Hieronymus in *Isaia* cap. xii, idioma S. Scripturæ est ut omnes gentes, vel omnem terram intelligat ejus provincia, de qua est sermo.

Allegorice, *q. d.* Deus conferet omnes imperatores et gentes, que persequuntur Ecclesiam, imo eas Ecclesiæ subijciet facietque fideles, uti reipsa fecisse Deum, patet ex historiis Eusebii, Socratis, Sozomeni, Baronii et aliorum. Ita S. Hieronymus, Albertus, Remigius et Vatablus. Aliter Arias, qui per gentes accipit terminus demonum Christum Christi Ecclesiam oppugnantium, quos omnes Christus contrivit.

10. ET EFFUNDIT SEPER DOMUM DAVID. — Assurgit hic de more propheta ad Christum, et promittit quod ipse in Jerusalem, puta in Judæos qui sibi credent, hoc est in Ecclesiam primitivam, que cepit in Jerusalem et Judæa, atque ex Judæis coluit, effundet spiritum gratiæ et precum. Pro gratiæ hebraice est *רוח חן*, quod significat gratiam qua aliqui gratiosi et amabiles sumus. Unde in Scriptura loties dicitur: Inveni, vel inveniam gratiam in oculis tuis, hoc est, sim tibi gratus, placens, amabilis. Deus ergo hic pollicetur quod per Christum effundet in fideles spiritum gratiæ, id est spiritum qui eos per gratiam infusam gratificet Deo, ipsique et angelis faciat gratiosos et amabiles, juxta illud *Ephes. 1, 5*: « Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum, etc., in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo. » Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius et alii passim. *Secundo*, Chaldeus et Arias pro *chen* non male vertunt *comiserationem*, qua misero, præsertim innocenti, ut Christo transfixo, de quo vers. 10, compatimur. Unde sic cum Chaldæo vertas: *Effundam super domum David, etc., spiritum misericordie et miserationum*; vel cum Aria, *spiritum compassionis et deprecationis*, que ex compassionis cogitatione et sensu plerumque proficitur. Est enim deprecatio, miserantis animi voce, fletu atque lamentatione indicatio.

ET PRECUM. — Hebraice תחנונים *tachanunim*, quod Septuaginta vertunt, *misericordie*; Chaldeus, *miserationum*; Clarus, *propitiationis*. Radix enim *חן* *chanaan* significat misereri, quibus precari: miseria enim excitat ad preces, inque eam levamus. Unde Noster vertit, *precum*. Jam S. Hieronymus, Remigius, Albertus, Vatablus et alii passim censent hic generaliter prædici missionem Spiritus Sancti in Apostolos et fideles in Pentecoste et deinceps. Ubi nota duos effectus principales Spiritus Sancti: *prior*, quod det nobis gratiam, qua grati sumus Deo; *posterior*, quod nobis

Spiritus
precum
quis?

spiritum orationis et precum, per quas omnes infirmitates et miseria nostras sanemus, omniaque bona quibus egemus, a Deo impetremus; juxta illud *Rom. cap. viii, 26*: « Spiritus adjuvat infirmitatem nostram; nam quid rogamus sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. » Ingens ergo donum Dei et Spiritus Sancti est donum orationis. *Secundo* et pressius, magisque apposite et connexe ad sequentia, Arias et a Castro censent spiritum gratiæ et precum hic vocari eum quem Deus injecti Hierosolymitis, cum Christum viderunt in cruce crucifixum, ut scilicet eum aspicerent oculis, non torvis et crudelibus, sed benignis, gratiosis et commiserantibus, indeque erumperent in lacrymas et preces, optantes ut Deus Christi innocentis, et tam dira patientis miseretur. Spiritus enim in Scriptura significat mentis impetum et vehementiam, v. g. ad amandum et commiserandum, si sit spiritus miserationis, uti hic est. Hunc esse sensum patet ex hebræo, ubi hæc verba pendunt ex sequentibus: « Et aspiciet ad me quem confixerunt, et plangent eum placenti quasi super unigenito. » Hæc enim eorum commiseratio fuit initium fidei et conversionis ad Christum, ac propagationis Ecclesiæ. Deus enim ob hanc eorum compassionem in Christum, dedit eis fidem, gratiam et salutem per Christum. Simili modo ex aspectu Christi crucifixi compuncta, et ad vitam perfectam conversa est S. Elisabetha, regis Hungariæ filia, aliique permulti, uti mox ostendam. Quare minus recte ad litteram aliqui censent hunc spiritum gratiæ et precum promitti hic Machabæis, uti eum Judæa Machabæo datum scimus. Rursus Mariana hunc spiritum gratiæ et miserationis passive accipit, quasi dicat: Faciam ut fideles mei omnibus sint grati, ut omnes eorum miserentur, eisque opem ferant.

Moraliter, disce hic magnum Dei donum esse donum orationis et precum: oratio enim est fistula celestis, per quam a Deo per meritum Christi sugimus omnem gratiam, quasi manna. Eo excelluerunt S. Bernardus, S. Dominicus, S. Franciscus, S. Thomas Aquinas (qui suam sapientiam et doctrinam orando, potius quam studendo se adeptum esse professus est), S. Franciscus Xavierus et alii, qui eo nixi ardua queque susceperunt et perfecerunt, adeoque nihil a Deo postularent, quod non impetrarint. Ad hoc disponit et ducit ingens in Deum fiducia, quam parit profunda consideratio tum bonitatis Dei, tum meritum Christi. Quid enim Deus benignissimus neget suis amicis, qui vitam suaque omnia pro eo prodigunt? Quid isdem obtendentibus Christi sanguinem, dolores et mortem acerbissimam, per eamque supplicantibus, abnuat? Hinc fides thaumaturga, miraculorum operatrix, et suscitatrix mortuorum, imo damnatorum, aut certo damnandorum. Vis exempla? Accipe pauca e

multis. S. Elisabetha precibus adolescentem vatum convertit, et ad religionem impulit, ita ut ea orante adolescens clamaret: « Cessa, o domina, cessa, quia vastissimo supplicationis tue incendio præcordia mea, et ipse medulla depascuntur, ita ut falsicam et emoriar. » Ita habet ejus Vita.

Anno Domini 859, perfectam pacem obtinuit Ecclesia Anglicana, defuncto Eduino rege, et succedente in monarchiam regni totius Edgardo. Porro precibus S. Dunstani, quem affligerat, ne positus ad inferos damnaretur, animam ejus ereptam, ita narrat Osbertus monachus: « Interea Eduinus e vita præstanti substractus, et anima ipsius, Dunstano in orationibus occupato, a quibusdam terrimis hominibus cursim e vestigio est presentia. Cujus miseriam miseratus, suarum injuriarum immemor, pro liberatione ejus immensus omnipotenti Deo lacrymarum imbres effudit, nec ab eis desistit, donec se pro eo exaudiret agnovit. Facto igitur non grandi intervallo, Mauri illi ad Dunstanum sua præda vacui redeunt. El qui suas injurias tunc supervacue venerant, clamorosis voces depromunt; quorum ille furores nihil pensans, Deo super ineffabili misericordia gratias egit. » Ita habet Osbertus in *Vita S. Dunstani*, et ex eo Baronius anno Christi 959.

Dunstani in *Prælo Spirituali*, cap. xlii, narrat de sene quodam, cujus discipulus negligens mortuus est. Contristatus ergo oravit et dixit: Domine Jesu Christe, verax Deus noster, revela mihi quid sit circa fratris animam. Aspexit autem in excessu mentis effectus, fluvium ignis, ingentemque in ipso igne multitudinem, ac medium fratrem illum ad medium usque demersum. Tunc ait illi senior: « Nonne te propter hanc peccatam orabam, ut curam anime ageres, fili? » Respondit frater, et ait seni: « Gratias ago Deo, Pater, quod vel caput meum requiem habet. Per orationes enim tuas supra caput episcopi etc. »

Anno 920, fato concessit Sisinandus quartus Compositellanus episcopus, cujus tanta fuit fama sanctitatis, ut Joannes Papa (opinor decimus) per litteras et tabellarium proprium se precibus sibi commendaverit. Mortuus est autem senio confectus, in cujus obitu voces audite sunt angelorum canentium: « Veni, electe Dei, intra in gaudium Domini tui. » Successit illi Gundesindus V Compositellanus presul, et comitis cujusdam filius: sed hic cum mundo, quam Deo magis deditus esset, vitam non satis pio fine clausisse dicitur. De qua re mater ejus, matrona pia gravi confecta dolore, et de anima filii vehementer sollicita, ante aram beatissimi Jacobi apostoli divinum misericordiam dies noctesque non desistit implorare, et fletibus, precationibus, jeuniis, elemosynis sibi demereri, interposito S. Jacobi patrocinio, donec quadam nocte in templo ejusdem apostoli vocem hanc audivit: « Scias filium tuum hæc nocte ad electorum societatem admis-

sum fuisse. » Ita habet Joannes Vaseus in *Chronico Hispaniæ*, ad annum 920.

ET ASPICIET AD ME QUEM CONFIXERUNT. — Stolidè Judæi ex chaldæo hoc intelligunt de Christo quodam filio Joseph, quem in bello occubuisse fabulauerunt, aut de Juda Machabæo ab hostibus occiso. Vox enim *me* significat hic loqui Deum; hebraice est דקרר *dakar*, id est transfoderunt, transpulerunt, transfixerunt, scilicet Judæi infideles et impij Christi caput spinis, manus et pedes clavibus, latus lancea in cruce. De Christo enim in cruce transfixo hic esse prophetam et sermonem docet et interpretatur S. Joannes cap. xiv, 37, ubi cum narrasset milites non fregisse Christum crura, eo quod viderant eum jam mortuum: « sed unus militum, inquit, lancea latus ejus aperuit. Facta sunt enim hæc, ut Scriptura impleretur: Os non comminatis ex eo. Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt. » Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Cyrillus omnesque alij interpretes, Græci et Latini; quibus et Hebræi præci apud Galatum, lib. viii, cap. xvii. Loquitur de Judæis qui Christum in cruce aspexerunt, præsertim his qui ei compassi et commiserati sunt, uti paulo ante dixi, et fuse recteque probat Aleazar *Apocal. 1, 7*, notat. 6, qualis fuit Centurio ejusque socii, qui « viso terræ motu et his que fiebant, timuerunt valde, dicentes: Vere Filius Dei erat iste. » *Matth. xxvii, 54*. Porro tales multos, imo plerosque fuisse significat Lucas cap. xxiii, 48, dicens: « Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, et videbant que fiebant, percontantes pectora sua revertebantur. » Ita Arias, a Castro, Salmeron tom. X, tract. 48, in fine, et Aleazar loco jam citato. Pro confixerunt Septuaginta vertunt, *insultaverunt*, q. d. pro *dakar* per malathesim legunt דקרר *rakada*, id est saltarunt, insularunt. Ita S. Hieronymus (1).

(1) Locum hunc gravem et difficilem varii varie interpretes in sensu quem vocant litteralem exposuerunt, sed triplici præsertim modo ad Christum applicandum esse censuerunt.

Non equidem mirum est Calvinum ejusque assechs commentatores heterodoxos, Reclitiosque rationalistas, ut Rosenmuller, Maurer, etc., vehementer impugnavisse illos qui verba hæc secundum litteram de Christo exponere conantur. Non enim in hunc finem, inquit, ab Evangelista citantur, sed potius ut ostendat Christum esse Deum illum, qui olim conquestus fuit per Zachariam, sicut peccata Judæis transfodi. Ille autem Deus hominum more loquitur, significans perinde se vulnerari populi sui sceleribus, ac præsertim obstinato veri sui contemptu, ut lethale est in homine mortali vulnus, cui cor est transfixum, sicut alibi dicit spiritum suum morere esse affectum. Juxta hanc interpretationem, non nisi in sensu accommodato S. Joannes hunc locum Jesu Messie, et cum afflicto applicat. Quis sententia prorsus abiectenda ad adversam tam fidei catholice, quam sanis interpretationis regolis.

Alii, ut Sanctius, Calmetus (quarvis non satis clare), Ackermann, hæc omnia novam præcipue legem respicere dicunt, verum simul asserunt, Judæos quoque post pa-

Symbolice, Cyrillus et Eusebius lib. VIII *Demonstr.* cap. iv, hæc adaptant Judæis in excidio Ilii, his, inquam, qui agnovērunt causam excidii esse, quod patres eorum Christum crucifixissent, ideoque conversi sunt ad Christum. Ceteri enim causam excidii non in Christi cædem, ut ipse quem non agnovērunt, imo negarunt esse Messiam, sed in seditiones cædesque mutuas, et alia Iudæorum peccata retulerunt, ut patet ex Josepho lib. VI *Bell.* cap. xvi.

Anagogice, id implebitur in die iudicii, quando Iudæi aliique impij, qui hic noluerunt Christum agnoscere, invili eum agnoscent: nam damabuntur eo quod ipsum transixerint, aut transfixionis et passionis ejus fuerint immemores et ingrati suis sceleribus, ideoque plangent. Ita explicat S. Joannes *Apocal.* 1, 7: « Ecce, ait, venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt. Et plangent se super eum omnes tribus terre. » Vide ibi dicta. Imo multi putant hunc esse sensum litteralem, ut Theodoretus, Remigius, Lyranus hic, et S. Augustinus lib. XX *De Civit.* xxx, Suarez, III part. tom. II, disp. lvi, sect. ix, Jansenius in *Concord.* *Evangel.* cap. i, 44, Toletus *Joan.* xxix, 37, qui ex hoc loco probant stigmata crucifixionis et passionis in Christi corpore post resurrectionem mansisse, eaque videnda fore ab impijs in die iudicii. Sed ex dictis patet hunc sensum potius esse anagogicum. Huc quoque alludit Christus *Matth.* xxiv,

39, dicens: « Et tunc parebit signum Filii hominis (puta crux, cum clavis, lancea, etc.) in celo, et tunc plangent omnes tribus terre, » etc. Denique nonnulli id ipsum extendunt ad particulare ejusque hominis iudicium. Ita Innocentius Pontifex lib. *De Misericordia conditionis humanæ*, et ex eo Ludolphus, vol. III *De Vita Christi*, cap. xlvij, censent quemque hominem in morte videre Christum in cruce positum: malum, ad suam confusionem, ut erubescat se non esse redemptum sanguine Christi, sua culpa id exigente; et hoc esse id quod hic dicitur a Zacharia: « Aspicient ad me, quem confixerunt; » bonum vero Christum videre ad suam exultationem. Idque probant ex I *Thess.* II, 13: « In adventu Domini nostri Jesu Christi, » id est, inquit, in die mortis, quando apparet tam bonis quam malis, Christus in cruce positus. Et ex *Apocal.* III, 3: « Veniam ad te tanquam fur. » Verum hæc infirma et incerta sunt, ac proinde temerarium videtur illa asseverare, ut recte ait Dionysius Carthusianus, dialogo *De Particulari iudicio*, art. 2 et 41. In iudicio tamen universali apparebit Christus, non crucifixus, sed cum omne et electricibus quinque vulnerum, ut jam dixi. Quare iudicium particulare ejusque peragat Christus, vel per se, vel per angelos. Per se, non descendendo de celis (sic enim qualibet hora, utpote qua multi per orbem moriuntur, deberet de celo descendere, seque replicare multos, ut iudicet eos qui eodem instanti in variis

Schollis Jarii Hebræi (vulgo R. Salomon appellatur) notatum, priores Rabbinos expulsiisse locum istum de Christo Josephi filio in Masecheth Juecha. Etsi enim agnoscamus que sequuntur ad finem usque capitis aliquantulo modo ad Machabæorum tempora partim et imperiole referri posse, tamen longe verisimilius est litteraliter pertinere ad tempus Evangelij, et quidem historice. Quod si cui mirum videtur Prophetam hic quando historiam aliquam ad tempora legis antiquæ pertinetem, tenere videtur, ex interrogato ad Christum vaticinium convertere, et inde se rursus eodem pene impetu ad historiam referre; respondendum cum Sanctio, qui tamen secundæ interpretationi assipulatur, Prophetam non esse propositum historiam texere, neque enim tam historici sunt, quam vates; narrat autem illa que ad prophetarum intelligentiam necessaria sunt. Quare neque semper temporum ordinem observat, et præterea multa, que si omisisset historicus, ferendus non esset; idcirco cum Zacharias hic tantum prædicaret republicam Iudæicam deteriori fortunam tempore Antiochi, et eiusdem institutionem per Machabæos, reliqua amputavit omnia, que ad ea non pertinebant vaticinium; statimque condidit Christi mortem, sumpta occasione ab eua repulsa ab eo ornata. Ad illud vero quod contra hanc explanationem adhuc objicitur, non videri sermone esse de Christo, qui cum in prima persona dixisset: *Aspicient in me*, etc., deinde in tertia persona dixit: *Et plangent eum*, respondeo, illud etiam esse in Sancta Scriptura usitatum, ut de se aliquis in tertia persona loquatur, etsi prius in prima loqui cepisset, *Isai.* xxi, 19; *xlii*, 24. Ad hunc ergo modum, qui de se dixit in prima persona: *Aspicient in me*; ille idem de se ipso subjungit in tertia, *et plangent eum*.

cem virtute ac imperio Machabæorum partam a Deo acceptis spiritum gratiæ et precum longe uberiores, quam antea. Fuerunt illi deinceps magis Domino fideles, assidui magis ad ejus verba audienda ac frequentiores in templo. *Aspicient ad me quem confixerunt.* Iudæi non amoverant anulosque oculos suos a conspectu Domini, quem olim tot probis affecerant, quem turpiter adeo reliquerant, in quem blasphemaverant. Illi igitur interpretes explicant hunc locum sensu *proximo et litterali* de temporibus Jude Machabæi, sensu vero *remotiori et eminentiori* de Messia, ita ut Judas Machabæus sit typus futuri Salvatoris morientis. In hoc sententia patet futuræ salutis morientis. In hoc sententia patet futuræ salutis morientis. In hoc sententia patet futuræ salutis morientis. In hoc sententia patet futuræ salutis morientis.

Nobis vero probabilior et sanior videtur interpretatio que totam hæc bene in sensu proximo litterali de Christo in cruce confixo intelligendum censet. Locum tunc in hoc sensu citat S. Joannes, ut dubitare de sententia nemo possit, hoc et ipso Calmetus fateri cogitur cum dicit: Evangelista et interpretes docent hunc locum *directe atque ad litteram* respicere Jesum Christum, qui clavis crucifixus fuit a Judæis, accusatus, blasphemus ac contumeliosus peccatus. Illud de cruce pendentes viderunt Iudæi, ac in eum blasphemias evomerunt; sed ex illis plurimi, cum viderent rationem illam, qua obierat, et prodigia, que extenderat illius vite spiritum, iam conversi fuerunt, et ad Deum conversi fuerunt, Jerusalemam reversi comitati, vel subsistenti pectora sua. Illi, quibus S. Petrus peccatis illa verbum Dei annuntiavit, scelus suorum penitentiam agerunt. Omnes denique Iudæi, qui post Spiritus Sancti adventum conversi sunt, et qui deinceps, et usque ad seculum finem converterent, semper experient Zachariam vaticinium: *Aspicient ad me, quem confixerunt.* Sic Calmetus. Neque reticere possumus in

locis et provinciis moriuntur), sed per mentalem locutionem, qua manens in celo empyreo loquitur anime in terra morienti, revelans ei sua facta, dictansque sententiam vite, vel mortis æternæ. Sic enim angeli loquuntur invicem, etiam si a se multo longissime distent. Vel certe iudicium particulare exercet per angelos: illi enim sunt ejus administratori spiritus, ut ait Apostolus *Hebr.* i. Unde Bartholomæus Sibylla, S. Theologiæ doctor, Ordinis S. Dominic, in *Speculo peregrin.* *Quest.* decada 4, cap. II, *Quest.* IX, censet Christum hoc iudicium exercere per angelum custodem ejusque, ut is deinde eum pro meritis vel ad purgatorium, vel ad celum deducat, vel tradat demoni, ut eum rapiat in gehennam. Hoc enim ad angeli custodiam pertinere videtur, ejusque esse ultimus actus.

ET PLANGENT — non tam suos dolores, ut facient impij in die iudicii, quam Christi indignam necem. Ait enim: « Plangent eum, » scilicet indignæ crucifixum et occisum, « planeti quasi super unigenitum, ut doleri solet in morte primogeniti. » Est enim Christus « primogenitus omnis creature, » *Coloss.* 1, 15, « sicut planetas Adadremmon in campo Mageddon, » id est sicut planxerunt olim Judæi Josiam regem optimum a Pharaone cæsum in campo Mageddo, cujus filius et antypus fuit Christus in Jerusalem occisus a Judæis. Ita S. Hieronymus, « Crucifixo, ait, Domino salutaris renovabitur planetas in Jerusalem, separatis viris a feminis, eo quod tempore luctus non debeamus servare conjugis et operi nuptiarum. » Id probat ex *Jobis* II, 10: « Egrediamur sponsus de cubili suo, et sponsa de thalamo suo. » Et subdit: « Hoc non solum tempore angustie fieri, sed etiam in tempore orationis, quando volumus Deum deprecari. Igitur et nunc domus David, et tribus domus Nathan, et tribus domus Semei a suis uxoribus separantur, ut plangent Dominum. » Loquitur ad litteram de planeti fideli in morte Christi, ut paulo ante ostendit. Gregorius Nazianzenus in eamdem cum titulus: *Christus patiens, vultus militum illum qui lancea latus Christi perforavit, altero oculorum fuisse captum; sed Christi sanguine et aqua ad oculum admotis, visum recuperasse, ac Christi virtute agnita, pectus suam percussisse, ipsunque verum Filium Dei agnovisse.* Salmeron, tom. X, pag. 496, idem citat non tantum ex Nazianzeno, sed etiam ex Isidoro. Romanum Martyrologium die 15 martii asserit Longinum fuisse eum qui latus Christi perforavit; indeque credidit et martyri evasis. Hoc significat « *aspicient, scilicet tam oculis cordis quam corporis, in me quem confixerunt.* »

Symbolice, hunc planetam recte accipias, tum eum quo planxerunt fideles, partim ex penitentia et lætitia conversionis sue, qua receperunt Spiritum Sanctum; partim ob persecutiones varias, quas propter Christum primitus passi sunt a Judæis et Gentilibus; imo hunc ad litteram hic

intelligi censet S. Hieronymus, Remigius, Albertus et Aleazar loco jam citato; tum eum quo quottannis fideles, præsertim in hebdomada sancta (in qua Deus in fideles et pius effundit hunc spiritum gratiæ et precum sive commiserationis) recolunt, et plangent passionem Christi, dum cogitant se suis peccatis crucifixisse Christum, ideoque penitentiam agunt, et austeram vitam capessunt, appetitus suos edomant, studentque mortificationi, ut faciunt religiosi. Hi enim reipsa compatiuntur Christo, dum ob Christi recordationem, venerationem, amorem et imitationem, mortificationem Jesu in carne sua circumferunt, ut ait Apostolus, itaque quasi iusta Christo pro se crucifixo persolvunt, eique parentant. Reipsa enim dicunt, plangentque illud *Thren.* IV, 20, et cap. V, 18: « Spiritus ejus nostri Christus Dominus, captus est in peccatis nostris. Cecidit corona capitis nostri: ve nobis, quia peccavimus. » Porro planetas hic est in Adadremmon, id est in horis matutinarum: tales enim sunt religiosi et monasteria, in quibus vigent disciplina et charitas, quarum cura ad sponsam Christum pertinet, juxta illud *Cant.* VI, 40: « Descendi in hortum meum, ut viderem poma convallium, et inspicerem si florisset vinea et jussisset mala punica. » Et cap. VI, 12: « Mane surgamus ad vineas, et videamus, etc., si floruerint mala punica. » Hinc seorsim plangent viri in monasteriis feminarum, agentes penitentiam vite religiosæ. Porro maxime plangent domus David, Nathan, Levi et Semei, que Christo erant cognate, id est que pietate et charitate ad Christum proxime accedunt. Unde David exponitur dilectus, Nathan donatus, Levi copulatus, Semei obediens. Hæc Aleazar, cui consentiunt Isidorus, Clarus, Vatablus et Dionysius. Ita abbas Stephanus in *Prælo Spirituali*, cap. LXIV, tribus scilicet de anima salute disserentibus: « Ego, inquit, die noctuque nihil aliud ago, nisi Dominum nostrum Jesum Christum in ligno pendentem. » Ita S. Iacobi carius Ariani crucifixum semper intuens, nulla injuria, nulla afflictione, nulla molestia movebatur ad iram vel impatientiam, sed omnia placide immoto vultu et invidiæ patientia tolerabat. Cumque eum ejus Delphina miraretur istam apathiam, et causam quaereret, respondit: « Explicabo tibi arcanum peccatoris mei. Novissis me interdum sentire aliquam indignationem in animo adversus instantes me. Sed illico me convertit ad cogitandas injurias Christo illatas, enimque imitari cupiens dico mihi ipsi: Etiam si famuli tui barbaram tuam convellerent, et colophos tui frangerent, nihil esset ad Dominum tuum, qui majora perpessus est; certumque habes, Delphina, me nunquam cessare a commemorandis injuriis Salvatoris mei, donec animus meus plene sit tranquillatus. » Hæc ratio nulla ei perturbatio, vel commotio potuit dominari. Thomas Cantuariensis lib. II *Apum*, cap. xxv, part. V,

Planetis
Eidem
ob
tem
Christi.

narrat martyrem quemdam captum a gentili tyranno, sem e rembeundum incesisse; cumque tyrannus causam tristitiae quaereret, respondisse: «Semper tristis incedo, quia mortis Dei mei memor, continue in corde meo passionis ejus stigmata porto.» Unde indignatus tyrannus jussit ei cor evelli et dissecari, in quo reperit Christi crucifixi imaginem; qua re commotus, ad Christum conversus et baptizatus est. Eadem Christi crucifixi imago inventa est in corde S. Clarae de Montefalco, uti narrat oculatus testis Thomas Bosius lib. XV *De Signis Eccles.* cap. III, tom. II. Nota sunt sacra stigmata S. Francisco a Christo crucifixo, quem jugiter intuebatur, impressa. S. Lydwina jugiter in plagis Christi, quasi in foraminibus petre, instar columbae nidificantis commemorabatur, ut habet ejus Vita apud Surium, cap. VII, die 14 aprilis. Idem fecit S. Clara, discipula S. Francisci, ut habet ejus Vita, cap. XX, apud Surium, die 12 augusti, atque ejus assecla S. Coleta, uti in ejus Vita refert illi coevus Stephanus Juliacus. Idem fecit S. Hedwigis duccissa Poloniae, ut habet ejus Vita, cap. V, apud Surium, die 18 octobris. Et S. Brigita, ut habet ejus Vita, cap. V, ac Gertrudis, Mechildis, et Catharina apud Blossium abbatem in *Monti spirit.* cap. II. Denique S. Elisabetha, Hungariae regis filia, cum quadam die ornatu et comitata regio ecclesiam ingressa esset, statim ubi crucem vidit, Christumque in ea pendente, cepit in lacrymas solvi, et dolore acerimo torqueri, cogitans dicensque sibi: «Deus et Salvator meus in patibulo moritur; ego gemis, auro purpuraque fulgeo: ille spinam coronam gestat; ego auream: ille inter latrones, hostes et derisores; ego turba famulorum me colendum cingor.» Quare cum se propterea infelicem, miseram, ac pene damnatam appellaret, quod tam male suum imitaretur creatorem, ex animis in terram corruit, aegreque ad se reversa, statuit vitam mutare, Christique humilitatem et crucem imitari, ut reipsa prestavit. Ita habet ejus Vita, et Hieronymus Platius lib. *De Dignit. Card.*, cap. XVII.

PLANGENT EUM. — Transit a prima persona ad tertiam, puta a me ad eum. Hinc Sanchez putat Prophetam post raptum ad Christum, ejusque plagas, quibus confixus est, illico redire et revolare ad Machabæos, de quibus egit toto capite, q. d. In persecutione quam ab Antiocho dirissimam sustinebat populus Judaicus, pii omnes plangent super eum, scilicet populum jam dictum: omnes enim tunc planxissent patet II *Machab.* I. Verum in precedentibus nulla vastationis, sed roboris et victoriarum Machabeorum facta est mentio. Adde hunc raptum videri nimis subitum et insolentem. Ad eum tamen alludi non nego.

Secundo, Alcazar loco citato censet *me ad Patrem aeternum* referri: illum enim in sua, id est in prima persona loqui solere in Scriptura; sed *meum* referri ad Filium, q. d. Aspicient me Pa-

trem quem confixerunt; quia mihi inflicto fuit vulnus, quod Christo filio meo dilectissimo infixerunt juxta illud *Malachiae*, cap. III, 8: «Si affliget homo Deum, quia vos configitis me?» Quare officium ut plangent eum.

Tertio, alii passim simpliciter censent esse enalagen hebraeam: Hebraei enim saepe mutant personas, et de seipsis nunc in prima, nunc in tertia persona loquuntur. Aut facilius dicas hucusque locutum esse Christum de se in prima persona, nunc vero loqui Prophetam de Christo, ideoque loqui de eo in tertia persona. Propheta enim id quod Christus paucis dixerat, exaggerat et ostendit quantus de ejus confixione in cruce futurus sit omnium planctus. Septuaginta vertunt: *Plangent super se*, quos sequens S. Joannes Apoc. I, 7: «Plangent, ait, se super eum omnes tribus terrae;» quia in die judicii plangent impii super se, eo quod Christi necem vel procurarint, vel illi ingrati fuerint: de quo plura in fine capituli.

Porro docet hic Zacharias inter varios affectus, quos ex meditatione passionis Christi elicere possumus, ut admirationis, amoris, gratitudinis, compunctionis, timoris, poenitentiae, imitationis, patientiae, gaudii, spei, etc., eminere affectum compassionis, eumque proprie non Christo pro nobis patienti debere. Quis enim non intus sensibus condoleat Christo innocenti et sancto, imo Dei Filio unigenito, cum eum in cruce confixum intuetur, tot tantaque pro se tam amantem pati? Quis non ex commiseratione gemat, et lacrymis diffinat? Vere S. Bonaventura in *Stimulo divini amoris*: Quid, ait, fructuosus esse possit, quid suavior, quam ex toto corde compati amarissimam passioni Jesu Christi Domini nostri? Vide eundem, et nostrum Franciscum Arias lib. *De Oratione mentali*, cap. XII. Quocirca S. Clara, discipula S. Francisci, jussit monialibus sui Ordinis, crebro plangere mortem Christi, uti habet ejus Vita.

11. SICUT PLANGENT ADADREMNON. — Primo, «Adadremnon» urbs erat juxta Jezrahel, quae postea dicta est Maximianopolis, sita in campo Mageddo, ubi occisus est Josias rex Juda a Pharaone Nocho, cujus mortem luxit Jeremias et totus Israel, II *Paral.* XXV, q. d. In crucifixione et morte Christi maximus erit fidelium planctus, qualis fuit in caede Josiae optimi regis, qui fuit proavus et typus Christi. Ita S. Hieronymus, Remigius, Albertus et alii. Videtur haec urbs ita dicta a copia malgranatorum. *Remmon* enim hebraice idem est quod malgranatum, *hadad*, vel ut Chaldaeus legit, *habar*, id est quod decor. Dicta est ergo urbs haec amoenissima *Adadremnon*, id est decor malgranatorum. Unde Arabibus et Syris vertunt: *Sicut planctus super filium Amon* (id est super Josiam: Josias enim fuit filius Amon, Matth. I, 10) in campo Mageddo.

Secundo, Septuaginta more suo nomina propria

Vers. 11. Adadremnon urbs quae et qualis

ex etymo interpretantes, pro *Remmon* vertunt, *Remmon punicum*, sive granatum; pro *Mageddo*, vertunt, *succisus*. Sic enim habent: *Sicut planctus mali punice*, aut potius, *punicetti*, quod in campo succiditur. Ubi recte notat S. Hieronymus, graecum *ῥοῖον* (sic enim legendum in Septuaginta non *ῥοῖον*, id est malorum puniceorum, uti legunt Complutensia) non malum punicum, sed punicetum, id est locum malis punicis consitum significare. Jam S. Cyrillus versionem Septuaginta sic explicat, q. d. In Christi morte «similem planctum fore, qualis est planctus agricolae, cum arbor malgranati cum suis pomis exciditur. Arbor est *εὐαβία* (id est *pulchre florens*), et frequentes a radice mittens ramos, rectos et proceros, quae cum malis suis punicis decoratur, tunc admirationem movet, » q. d. Sicut exciso puniceto maxime delict herus, utpote qui in eo suas habebat delicias, praesertim dum floribus purpureis instar calyculorum, aut malis punicis verticulamentibus ornatur (uti Romanorum delicias esse videmus in punicetis); sic summe dolebunt omnes pii in morte Christi. Utitur similitudine granatorum potius quam aliorum fructuum, quia granata dum comprimuntur sanguineum fundunt saecum, eumque sapidum et salutarem, qui representat sanguinem Josiae et Christi, quo salvatus est mundus. Unde sponsa *Cantic.* VIII, 2: «Dabo tibi poculum ex vino condito, et mustum malorum granatorum meorum.» Addit Cyrillus malgranato significari optimates republicae; Theodoretus vero Septuaginta sic explicat: Sicut, inquit, lignatores secantes maximam arborem malgranatorum, ingentem strepitum faciunt; sic horum planetibus omnium aures circumsonabunt. Insuper charitatis typus est malgranatum: habet enim grana densissima et conjunctissima, instar uvae, adeoque videtur uva pome, sicut botrus est uva vitis: cortice enim est pomum, sed granis uva et botrus. Adde, punicetis vel purpureis punicis mali, florisque ejus color, amoris est symbolum. Haec de versione Septuaginta, ex qua censent nonnulli, in morte Josiae occisum esse punicetum, juxta quod ipse occisus est, dictum Adadremnon, ideoque hic ejus fieri mentionem, quod duplicem luctus causam et similitudinem ingerat, unam ex morte Josiae, alteram ex successione puniceti.

Tertio, Chaldaeus putat duas luctuosas caedes, scilicet Achab et Josiae hic significari, et ab utraque parti similitudinem. Sic enim vertit: *Sicut planctus Achab filii Amri, quem occidit Hader Remmon* (Benadad) *filius Tabremon* (rex Syriae, ut patet III *Reg.* XV, 18, et cap. XXII, 24) *in Ramoth Gasaad: et sicut planctus Josiae filii Amon, quem occidit Pharan claudus in campo Mageddo.* Verum Achab impius fuit rex: unde in ejus morte non fuit magnus planctus, et si fuisset, eo non uteretur Scriptura, nec ei compararet planctum de

morte Christi. Quocirca a Castro suspicatur Adad hunc fuisse virum quempiam celebrem, cum Remmon, occisum in Mageddo, ejus mors communi omnium planetu celebrata sit, cujus historiam tempore Zachariae fuisse vulgatissimam, licet ea nobis sit incognita.

Est ergo Hebraeis proverbium: *Planctus Adadremnon* vel *Planctus Josiae*, significans ingentem planctum, qualis est planctus unigeniti defuncti. Simile Genilibus fuit *Planctus Adonidis*. Venus enim Adonidem mortuum amare plangit, cujus lamenta annuo planetu et solemni reflexabant et celebrabant. Unde Venus apud Ovidium, lib. X *Metamorph.*:

Luctus, ait, monumentis manebant
Semper Adoni mei, repetitque mortis imago,
Annua plangoris peraget simulamina nostri.

Et Ezechiel cap. VIII, 14, vidit in templo mulieres plangentes Adonidem. Vide ibi dicta.

12. SEORSUM. — Quia apud Hebraeos, imo et Vers. 11. Graecos femine separabantur a viris in conviviis, in oratione, aliisque actibus publicis et solemnibus, adeo ut apud honestiores pars una domus viris deputata esset, quae andronitis; pars altera feminis, quae gynaeconitis dicebatur. Ita ex Plutarcho, Athenaeo et aliis Sanchez.

FAMILIAE DOMUS DAVID. — Omnes haec familiae, sed quatuor praeter ceteras plantaturae in caede, non Judeorum tempore Antiochii, sed Christi, asseruntur, scilicet David, Nathan, Levi et Semei, pro quo Septuaginta habent *Simeon*. Verum Semei, vel Simeon hic, non est ille filius Jacob secundo genitus, frater Jude, et patriarcha; sed alius, ait Lyranus, eo longe posterior, qui vita et sapientia illustris scholam, sive sectam instituit, de quo S. Hieronymus in *Isaia* VIII, et ad *Algasiam* Quest. X: Duas domos, inquit, nazaraei duas familias interpretantur, Sammai et Hillel, ex quibus orti sunt scribae et pharisei, non multo priusquam Christus nasceretur, quorum scholam Akiba postea rexit; et has esse duas domos quae Salvatorem non receperunt, qui illis fuit in ruinam et in scandalum. Jam quoniam fuerint haec quatuor familiae non constat: constat tempore Zachariae et Christi fuisse Judaeis notas et celebres. Duae tamen de iis probabiles sunt opinionnes: *Prior*, hosce quatuor fuisse proavos Christi; unde eorum familiae maxime luxisse in morte Christi, tanquam cognati sui, praesertim eos qui Christi fidem erant amplexi. Nam Lucas cap. II, in genealogia Christi, ejus proavum nominat Levi, vers. 24, et alium, vers. 29, deinde Semei, vers. 26, rursum Nathan et David, vers. 31. Favent S. Mattheus, Marcus et Lucas, qui dicunt in Christi necesse non tantum planxissent mulieres, et omnes notos ejus stesisse a longe, sed et totam turbam, visis tot prodigijs, quae tunc contigerunt, percussisse pectora sua. Ita Arias et a Castro.

Posterior est S. Hieronymi, Theodoriti, Remigii, Alberti, Riberei et aliorum plurium, per familiam David significari proceres; hi enim prognati sunt ex David: per posteros Levi significari sacerdotes et pontifices; hi enim ex Levi descenderunt: per Semei, vel Sammai, significari doctores et scribas, qui Sammai habuerunt ducem et magistrum: per posteros Nathan propheta significari Prophetas, id est viros religiosos, qui orationi, meditationi Dei que laudibus vacabant, qui in libris Regum vocantur filii Prophetarum. Hæc enim erant officia Prophetarum, indeque spiritum proprie prophetandi, id est futura prædicendi, nonnulli ex illis magis in spiritu elevati concipiebant.

Dices: Multi ex his, ut sacerdotes et scribæ, non pllexerunt mortem Christi; sed eam procurarunt. Respondeo in Scriptura sæpe ea facta, vel futura dicuntur, quæ fieri decet, aut debent, sive quæ ut fiant honestas et rerum natura postulat, vel quibus ut fiant justa gravisque causa datur, ut dixi in Proœmio, *Canone XV.*

Quator ergo hæc familie plancture dicuntur in morte Christi: quia decebat eas plangere, quia qualibet planetus propriam gravemque habebat causam, etsi multi ex his perversi seipsa non plangerent. Familia enim David propriam plangendi causam habebat, eo quod Christus ex ea prognatus quasi rex et Messias occideretur. Rursum quod propter Christum occisum destrueretur regnum Davidis et Judæe. Familie Levi plangendum erat, quod Christus sacerdos et pontifex, omnibus Leviticis sacrificiis et sacerdotibus adumbratus, necaretur, quodque ipse necis ejus esset causa, ideoque ab ea auferretur sacerdotium, templumque a Romanis pollueretur et combureretur. Familie Semei plorandum erat, quod Christus doctor orbis interimeretur, ideoque doctorum et scribarum ordo contaminandus et abolendus esset. Familie Nathan lugendum erat, eo quod Christus Prophetarum dux iniquissime et crudelissime necaretur, ideoque ab eis auferenda esset omnis propheta, religio et sanctitas. Adde multos ex his familiis fuisse pios et conversos ad Christum, qui sane reipsa ejus mortem acerbe plangerunt. Insuper Arias, Mariana et Sanchez censent has quator familias præ cæteris plangisse mortem Josie, eique suo planetu parentasse, idemque multos ex his fecisse Christo Josie antitypo. Denique hæc omnesque aliæ familie plangunt in die judicii, quando videbunt se, vel suos ob Christi necem vel procuralam, vel vilipensam, ab eodem jam glorioso judicante et regnante, ut ingratos, infideles, rebelles et impios damnari

ad æterna incendia. Unde Septuaginta, vers. 10, pro eo quod Hebræus et Noster habent, *plangent eum, vertunt, plangent super se.* Et ex iis S. Joannes loquens de Christo Judæe, *Apocal. cap. 1, 7:* « Plangent se super (propter) eum omnes tribus terræ. » Ex quo liquet hunc sensum de planetu impiorum in die judicii, non tam esse anagogicum quam litteralem. Combinat enim Propheta omnem de Christi neco planetum, tam piorum in ejus funere, quam impiorum in die judicii. Ita S. Augustinus, Theodoretus, Remigius, Suarez et alii, quos citavi vers. 10, quibus adde Tertullianum, lib. *Contra Judæos*, cap. xi, et Ireneum, lib. *IV Contra Hæreses*, cap. lxxvi. Plangent ergo tunc impii, quia videbunt stigmata vulnerum Christi, æque ac sua peccata, quæ illorum fuere causa, v. g. videbit Judas se sua prodicione Christum adegisse in crucem: videbit dives epulo se suis deliciis confixisse Christum: videbit superbus se suis honoris punctis; avarus, se suis fraudibus et usuris; adulter, se suis libidinibus; pugax, se suis pugionibus transpunctisse Christum: videbit quisque impius quot plagas suis sceleribus Christus infixit, quot spinas ejus capiti, quot verbera et dolores ipsi infixit, quot penas et addidit. Insuper videbit Christum sua peccata omnia in se luenda, ex immenso amore suscepisse, æque quantum in se est expiasse; ac proinde videbit suam ingratitude et dementia, quod ponere et vitam corrigere, ac Christo obedire noluerit, ideoque sibi frustraneam fecerit Christi passionem et crucem; ac consequenter quod sola sua culpa, negligentia et malitia perat, et idcirco justissime damnatur ad horrenda et æterna tormenta. Merito ergo plangent. Denique plangent quotannis Christi cædem omnes familie fideles in hebdomada sancta. Prophetia enim hæc cepit impleri moriente Christo, et post ejus mortem pergit impleri per singula sæcula, donec plene compleatur in fine mundi et die judicii. Ita Vatablus et Dionysius. Hæc explicatio generalis est et plena, ceterasque omnes complectitur: nam Propheta, vers. 12, hunc planetum dilatavit et ad omnes familias omniaque tempora extendere videtur.

Tropologie, plangent Christum crucifixum religiosi et fideles, qui sua vita mortificant, passionem et membra crucifigunt amore Christi, ut ejus crucem tam activam quam passivam, pro ejus honore jugiter, tam in corpore quam in mente circumferant, ut dicant cum S. Paulus *Galat. cap. vi, vers. 17:* « Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto, » uti ex Alexazre dixi vers. 10.

Man-
gus in-
piti Chris-
ti necem
in die
judicii.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædicat Christum fore fontem gratiæ, justitiæ et salutis, ideoque abolenda esse idola et pseudoprophetas, adeo ut parentes suos filios, si falsa et impia doceant, graviter puniunt sint. Fontem autem hunc, vers. 6, docet aperiendum plagis in cruce, fulente patre ac dicente: Framea suscitare super pastorem meum, et super virum coherentem mihi: percutere pastorem, et dispergentur oves. Unde, vers. 8, docet Christi passione tertiam partem salutandam, eamque probandam fore per ignem (1).

1. In die illa erit fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem, in abluentionem peccatoris et menstruatæ. 2. Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum: Disperdam nomina idolorum de terra, et non memorabuntur ultra: et pseudoprophetas, et spiritum immundum auferam de terra. 3. Et erit, cum prophetaverit quispiam ultra, dicent ei pater ejus et mater ejus, qui genuerunt eum: Non vives: quia mendacium locutus es in nomine Domini. Et configent eum pater ejus et mater ejus, genitores ejus, cum prophetaverit. 4. Et erit: In die illa confundentur propheta, unusquisque ex visione sua cum prophetaverit: nec operientur pallio sacco, ut mentiantur. 5. Sed dicet: Non sum Propheta, homo agricola ego sum: quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea. 6. Et dicetur ei: Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me. 7. Framea suscitare super pastorem meum, et super virum coherentem mihi, dicit Dominus exercituum: percutere pastorem, et dispergentur oves, et convertiam manum meam ad parvulos. 8. Et erunt in omni terra, dicit Dominus: partes duæ in ea dispergentur, et deficient; et tertia pars relinquetur in ea. 9. Et ducam tertiam partem per ignem, et uram eos sicut uritur argentum, et probabo eos sicut probatur aurum. Ipse vocabit nomen meum, et ego exaudiam eum. Dicam: Populus meus es: et ipse dicet: Dominus Deus meus.

Vers. 1. 4. IN DIE ILLA, — cum scilicet videbunt Christum in cruce confixum, ideoque plangent, ut dixit cap. præced. vers. 10; tunc enim Christus factus est fons sanguinis, potius quam aquæ, ad abluenda Judæorum omniumque hominum peccata.

ERIT FONS PATENS DOMUI DAVID. — Syrus et Ara-

(1) Hujus capitis synopsis in sensu supra declarato continuatur cum Kiber: Tertia prerogativa Ecclesie Christi post providam Dei curam et gratiarum abundantiam, orti immunis ab impedimentis procurata.

PRIMUM est superstitio, quod sublatum erit primo, per abolitam idololatram, divinationem et magiam; 2; secundo, per confessionem ipsorum pseudoprophetarum, 4, 5.

SECUNDUM, scandalum crucis Christi, primo, a Judæis olim objectum et propositum, 6; secundo, exposita a Deo patre causa sublatum, 7.

TERTIUM, pravum commixtio et consortium; sublatum, primo, per Judæorum et gentilium a christianis sejunctionem, 8; secundo, per Ecclesie ab hæreticis et schismaticis purgationem, 9.

Sunt qui totum hoc caput explicant de tempore Evangelii, de passione Christi, ac exilio Jerosolymæ per Romanos; inter quos Sanctius, Cornelius noster, etc., imo

bicus: Fons qui aperiatur domui David. Alludit ad fontem Siloe, qui typus fuit Christi, *Joan. ix, 7.* Siloe enim hebraice idem est quod missus: Christus autem quasi legatus a Patre ad nos missus est, ut nos ei reconciliaret. Siloe fons, inquit Adrichomius in *Descriptione Terræ sanctæ*, cui piscina, sive natatoria Siloe conjuncta est in occidentali latere vallis Josaphat, e radice montis

et Judæi proxima verba accipiunt de Messia, ut refert Galatinus lib. IV, cap. ultim. Alii totum hoc caput explicant de temporibus Machabeorum, statuante pastorem vers. 7, eundem esse cum confixo cap. xii, 10, nempe Judam Machabeum, qui Messia typus est. Ast, ut recte observat Calmetus, commoda connectio vers. 7 et seq. cum antecedenti ostendi nequit; nova igitur sectio hoc loco incipit, et dubitari non potest vers. 7 de morte Messie agere, cum ipse eum de se explicet, *Matth. xxi, 81; Marc. xiv, 27.* Loquitur vero Deus Pater, qui persecutoribus Messie permitit, ut manus immittant Christo, pastori, promittens simul conservationem suorum. His premissis, asseri potest, cum Calmeto, Ackermann, d'Allioli, a vers. 1 ad vers. 6, agi de tempore Machabeorum in sensu proximo litterali; inde vero a vers. 7, Prophetam de Messia mortem subeunt, et de his que post eam sequentur exclusive vaticinari, 7-9.

Siloe
fons quæ-
ritur